

1543

*Stephanus
Theupolus
classis im-
perator.*

*Paulus Ju-
stinianus &
Alexander
Bondime-
rius classis
legati.*

strui in Illyrico, & in Creta insula alias jussit, ut universae simul sexaginta essent. Imperator Stephanus Theupolus, vir multis, iisdemque egregiis pro Republica rebus gestis clarus, majoribus comitiis creatur; totius orae maritimae, atque insularum custodia injungitur, ne quid res, aut Reipublicae subditi detrimenti patiantur, provideat; Jaderae Paulum Justinianum, classis legatum, cum triremium manu adventantem, praestole-
tur, atque intra sinum Adriaticum se contineat. Alexander Bondimerius, alter legatus, Corcyrae cum quindecim selectis triremibus subsistere, atque ab iis se abstinere, quibus in Turcarum animis suspicio oboriri posset, jussus est.

*Chariade-
nus Brutio-
rum fines
depopula-
tur; Rhe-
gium occu-
pat.*

*Romae
terror ob
Turcicam
classem.*

*Chariade-
nus Tholeni
portum in-
gressus Mas-
siliam profi-
ciscitur.*

*Francisci
Regis man-
dato classis
Niceam ag-
greditur.*

Dum haec aguntur Turcarum classis centum ac viginti triremium, biremiumque quadraginta sub Chariadeni imperio Hellesponto egreditur; in ea Polinus Regis legatus erat. Euboeae per aliquot dies commorata, remige, milite auge-
tur, commeatibus instruitur. Inde ad Messanae fretum con-
tendens, in Brutiorum litoribus milite exposito, praedas agit; cuncta vastat; Rhegium occupat, diripit, in servitutem Hispanos milites nonnullos, & multo plures Rhegii cives abducit. Mox cum Ostiam pervenisset, ut aquatione longe optima, quod eo in loco Tyberis amnis mari se insinuat, uteretur; cum illius rei nuntius Romam pervenisset, ingens adeo terror omnium animos occupavit, ut incondita, & consternata plebs metu sese ex urbe in vicina loca proriperet. Verum Polini literis, quibus hostile nihil Turcicam classem edituram significabat, urbs eo metu soluta est. Inde Hetrusca, & Ligustica litora legens, recta in Provinciam contendens, in Tholoni portum sese classis intulit: deinde a regia, quae quatuor & viginti triremibus constabat, Massiliam deducta est: urbem Chariadenus, exquisitis honoribus, ac pompa exceptus, ingreditur. Polinus statim ad Regem contendit, ut illi mandata Aheneobarbi deferret, quem omnia ex ejus praescripto gerere Suleimanus jusserat. Is quamcelerrime Francisci decretum retulit, quo ag-
gredi Niceam, atque terra, marique oppugnari mandavit, quam urbem ejus majores belli necessitate, ac pecuniae inopia coacti Sabaudiae Duci oppignerati fuerant. Classem super triremes decem, & octo onerariarum navium, sex circiter peditum millibus, atque commeatu apprime instructam, Anghia-
no,